UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Caput II. De Lege Mosaica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

Visual Library

Obj. V. Jus naturæ admittit interpretationem; ergo etiam epikiam propriè dictam. *Resp. Esto* A. Interpretatio exponit verba obscura, & dubia, ex aliis principiis limitationem, aut declarationem admittentia: atque sic potiùs quæritur: utrum hìc & nunc detur præceptum naturale? Epikia autem est opinio, qua judicamus, quòd licet verba præcepti sint clarè obligativa, voluntas tamen Legislatoris sit, ut in certis circumstantiis subditus non obligetur; quæ opinio locum non habet in legibus naturalibus. Cæterà stante dubio practico circa legem naturalem, semper tutius est eligendum, alioquin operans ageret cum virtuali legis contemptu.

CAPUT II.

De Lege Mosaica.

124. Lex Mosaica.

Legem naturalem recto ordine excipit Lex divina *positiva*, quæ duplex distinguitur, *Mosaica* ab ejus Scriptore *Mose*, & *Evangelica*: illa etiam dicitur *vetus*, quatenus huic *novæ* opponitur, quam tempore anteceſſit. Lex *Mosaica* continetur in Pentateucho: in illa triplicis generis præcepta distinguuntur: alia sunt *moralia*, quæ pertinent ad informandos ad pietatem interiorem virtutemque animos, atque ad legem naturalem revocantur. Erant numero decem, quæ Deus lapidibus inscripta Judæis servanda dedit. Sunt ferè eadem, quæ in Decalogo continentur, ita, ut tria priora ad Deum, posteriora septem ad proximum pertineant. Quamvis autem ad legem naturæ præcepta hæc moralia spectent, convenienter tamen lege etiam positivâ comprehensa sunt, ut sic ignoran-

ignorantiæ & ruditati hominum subveniretur, & Deus etiam ut Autor gratiæ supernaturalis ad illa obligaret; ac proinde non solum declarativa legis naturalis fuerunt, sed novæ obligationis inductiva. Sic ex lege naturali præcise non tenetur homo amare Deum super omnia amore supernaturali, bene autem vi istorum præceptorum moralium. Alia sunt *ceremonialia*, quæ cultûs divini ritus, & rerum sacrarum ordinem determinant. Alia *forensia*, seu *civilia*, quæ Reipublicæ administrationem, & vitam civilem spectant. Duplex erat finis legis Mosaicæ: primus isque præcipuus, ut vera Religio in Mundo idololatrico conservaretur. Idque satis colligitur ex verbis initi fœderis in monte Sina: *Deus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris in laudem, & nomen, & gloriam suam.* Alter finis legis præsertim ceremonialis erat, ut rebus evangelicis tamquam in imagine repræsentandis inserviret. Finis generalis & ultimus erat supernaturalis felicitas populi electi per veram vitæ morumque sanctitatem obtinenda. Unde Legisperito *Luc.* 10. interroganti: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondebat Christus: *In lege quid scriptum est?* cumque ille reponeret dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo . . & proximum tuum sicut te ipsum*; iterum Christus ad eum: *Hoc fac, & vives.*

QUAESTIO I.

Utrum Lex Vetus bona sit, Deumque Autorem habeat?

125. Errones. Non defuere olim ex Hæreticis, qui Legem Veterem dicere malam, Deumque bonum

ejus

ejus Autorem non esse, non dubitarent. Tales in Seculo II. fuerunt *Carpocratiani*, *Cerdoniani* & *Marcionistæ*. In Sec. III. *Manichæi* illam à Deo malo datam delirabant. Istorum Hæreticorum vestigia satis temere legunt nostri temporis *Increduli*, quorum impias criminationes in QQ. seqq. ex instituto refellemus.

Lex Vetus est à Deo, bona & sancta est. 226 Omnia enim L. V. præcepta dicuntur sermones, & judicia Dei. Sic *Exod.* 20. v. 1, ubi Lex Mosaica incipit tradi, disertè dicitur: *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos.* Et c, 24. v. 3, Moyses promulgavit omnia, & populus acceptavit tamquam Domini præcepta; *Narravit plebi omnia verba Domini atque judicia, responditque populus unâ voce: Omnia verba Domini, quæ locutus es, faciemus.* Plura in hanc rem testimonia habentur in Scriptura Apostolica. Ubi Christus ipse legem veterem *mandatum Dei* vocat, cùm *Matth.* 15, Judæis exprobrat: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Et *Joann.* 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan mihi; de me ille scripsit, &c.* Quin ipse de se *Matth.* 5. ait: *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Propterea circumcisus est, pascha celebravit, &c. Est igitur utriusque Testamenti Autor unus idemque Deus; ac proinde Lex vetus non potest non esse bona & sancta. *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum; & justum, & bonum.* Ad *Rom.* 7.

Lex vetus est divina.

Respon-

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Idem videtur Autor fuisse totius Legis veteris, qui fuit autor præcepti de libello repudii: sed hìc fuit *Moyses*, dicente Christo *Matth.* 19. *Quoniam Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores.* Et sanè Lex vetus frequenter in Scriptura dicitur *Lex Moysis.* Ergo. *Resp.* MOYSES non autor fuit hujus legis, sed præco duntaxat. Sicut cùm *Marc.* 7. dicitur: *Moyses enim dixit: Honora Patrem tuum*, nequit intelligi hujus legis auctor, cùm istud sit naturale Dei præceptum. Nempe Judæi cùm dixissent v. 7. *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Christus reposuit v. 8. *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri*, &c. Nec alio sensu lex vetus vocatur *lex Moysis*, nisi quia illam scripsit, & promulgavit.

Inst. Constat esse leges humanâ autoritate sanctas, veluti de celebrando singulis annis festo *Phurim*, *Esth.* 9. & de festo *Scenopegiæ*, 2. *Machab.* 1. Igitur solus Deus non est Autor Legis Veteris. *Resp.* Id solum contendimus, solum Deum esse Autorem totius legis, quæ continetur in *Pentateucho.* Subinde nonnullas humanâ autoritate conditas fuisse, haud diffitemur. Invaluerunt etiam successu temporis apud Hebræos traditiones ejusmodi, quæ in Libris Sacris non erant descriptæ, immo quæ Legi divinæ adversabantur, quas cùm Judæi pluris facerent, quàm ipsam Legem; idcirco à Christo fuerunt reprehensi *Matth.* 19.

Obj.

Obj. II. *Ezech.* 20. dicitur: *Dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent.* Ergo. *Resp.* Sensus est, quòd Deus permiserit, Judæos divinæ Legis contemptores abire in viam gentium, harum leges amplecti, & idolis sacrificare: nam v. 18. habetur: *Dixi autem ad filios eorum in solitudine: In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, nec idolis eorum polluamini;* quæ omnia cùm Judæi spreviſſent, & respexissent ad patrum suorum idola, dicitur v. 25. *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent.* Et Judæos re ipsa idolis sacrificasse patet ex seqq. *Et dixi ad eos: Quid est excelsum, ad quod vos ingredimini.* v. 29 & 31 *Et in oblatione donorum vestrorum cùm traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie.* Præterea his gentium præceptis Deus oppoſuit præcepta sua v. 11. dicens: *Et dedi eis præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis.* Alii tamen æque probabiliter intelligunt præcepta non bona *negativè*, vel satis onerosa De quo inferùs.

Inst. 1. Lex vetus est imperfecta, testante Apostolo ad *Hebr.* 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex:* Dei autem opera sunt perfecta. *Resp.* Lex vetus est imperfecta *negativè*, non autem *positivè*: erat minùs perfecta, quàm lex nova, quia per se non conferebat gratiam, sine qua impleri non poterat; sed gratiæ auxilia, quæ dabantur, veluti emendicabat à Lege nova, ejusque Autore Christo, per cujus merita, & Fidem in illum conferebantur. Unde Apostolus ad *Gal.* 2. *Scientes, quòd non ju-*

ſtificatur homo ex operibus Legis niſi per Fidem Jeſu Chriſti. Cæterà explicabat omnia, quæ ad cognitionem & cultum Dei neceſſaria erant, prohibebat peccata, & virtutem vitæque honeſtatem inculcabat.

Inſt. 2. De Lege veteri ſic pronunciat S. Augustinus *Serm.* 6. de Verb. Apoſt. *Data eſt ergo lex illa, ut inveniatur infirmitas, parum eſt hoc, non ſolum ut inveniretur, ſed etiam ut augeretur, & vel ſic medicus quæreretur.* Igitur fuit cauſa peccati. Quo faciunt verba Apoſtoli 2. ad *Cor.* 3. *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat.* *Reſp.* S. D. *loc. cit.* differit adverſus *Pelagianos* impiè docentes, hominem per liberum arbitrium, ſine gratiæ adjutorio, ſibi ſufficere ad legem implendam: errorem hunc ut refellat, utitur exemplo Judæorum, qui legem ſine gratia ſeſe impleturos arbitrati, transgreſſores legis effecti ſunt; unde concludit, legis ſine gratia effectum alium non futurum, quàm ut homo prævaricator ſuæ ſibi infirmitatis conſcius evadat, eoque ardentius medicum quærat. Deus itaque jugum legis impoſuit Judæis, ut cùm tanto oneri ferendo impares ſeſe intelligerent, ardentioribus votis ad Chriſtum Salvatorem aſpirarent. Qui tamen finis non fuit niſi ſecundarius, eo fine primario ſemper perſtante, ut per legis obſervantiam ad internam animæ ſanctitatem, ſuumque finem ultimum pervenirent. Quod verò ait Apoſtolus, hunc habet ſenſum: Lex gratiæ præſidio deſtituta ubi multitudine præceptorum urget, eis, quibus data eſt, facta eſt occaſio æternæ mortis; gratiæ autem beneficium ſalutem & vitam æternam operatur. Quo etiam ſenſu intelligi debet,

bet, cùm ad *Rom.* 5. scribit: *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum.* Nam ita se ipse explicat ad *Rom.* 7. v. 11. *Nam peccatum occasione acceptâ per mandatum, seduxit me, & per illud occidit*; addit etiam: *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.*

QUAESTIO II.

An Lex moralis Decalogo contenta sit justa & rationabilis?

Omnia præcepta moralia Legis veteris in Decalogo contineri, sententia est S. AUGUSTINI. 127.
Cùm tam multa (inquit *q.* 140. in Exod.) *locutus sit Deus, duæ tantum tabulæ dantur Moysi lapideæ, quæ dicantur tabulæ Testimonii futuræ in Arca. Nimirum omnia cætera quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quærantur, & bene intelligantur. Quomodo hæc ipsa rursus decem præcepta ex duobus illis, dilectione scilicet Dei & proximi, in quibus tota lex pendet & Prophetæ.* Et S. THOMAS 1. 2. *q.* 100. *a.* 3. ait: *Præcepta Decalogi ab aliis præceptis legis differunt in hoc, quòd præcepta Decalogi per se ipsum Deus dicitur populo proposuisse: alia verò præcepta proposuit populo per Moysen. Illa ergo præcepta ad Decalogum pertinent, quorum notitiam homo habet per se ipsum à Deo* (nempe *a.* 1. dixerat: *Necesse est, quòd omnia præcepta moralia pertineant ad le-*

gem naturæ) *Hujusmodi verò sunt illa, quæ statim ex principiis communibus primis cognosci possunt modicâ consideratione, & iterum illa, quæ statim ex Fide divinitus infusa innotescunt. Inter præcepta ergo Decalogi non computantur duo genera præceptorum, illa scilicet, quæ sunt prima & communia, quorum non oportet aliquam editionem esse, nisi quòd sunt scripta in ratione naturali, quasi per se nota, sicut quòd homo nulli debet malefacere, & alia hujusmodi. Et iterum illa, quæ per diligentem inquisitionem Sapientum inveniuntur rationi consentire: hæc enim proveniunt à Deo ad populum mediante disciplina Sapientum. Utraque tamen horum præceptorum continentur in præceptis Decalogi, sed diversimodè: nam illa, quæ sunt prima & communia, continentur in eis sicut principia in conclusionibus proximis. Illa verò, quæ per Sapientes cognoscuntur, continentur in eis sicut conclusiones in principiis.*

128. Lex moralis est justa & sancta.

Lex Moralis Decalogo contenta est legi naturæ perfectè consentiens, ac continet omnia ad Religionem moresque ritè instituendos necessaria, ideoque justa & rationabilis est. Nam summa totius Legis moralis Decalogo contentæ duobus absolvitur, amore videlicet Dei & proximi: hic autem uterque quàm Juri nat. conformis sit, atque ab eodem præceptus, liquet ex dictis. Omnis Religio tribus continetur, rectis de Deo *sententiis*, piis in Deum *adfectibus*, & *cultu externo*. Rectas autem de Deo sententias inculcat Moyses, ubi infinitam Dei Majestatem, cæteraque attributa divinæ cujusdam eloquentiæ vi commendat, dicens: *Dei perfecta*

sunt

sunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, & absque ullâ iniquitate, justus & rectus. Item: *Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: Ego occidam, & vivere faciam: percutiam, & sanabo, & non est, qui de manu mea possit eruere.* 2°. Quæ erga Deum piæ adfectiones commendari possunt, continentur illo notissimo cuivis præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quoties in Lege commendatur timor Dei, fiducia, devotio, observantia mandatorum Dei? quàm severè prohibita quæcumque divino cultui contraria? omnia externi cultus officia quàm sapienter præcepta? 2°. Nec minùs sapienter ordinata fuit Respublica Hebræorum, & civis ad civem optime dispositus: nam omnis inter homines communitas duabus maximè virtutibus continetur, videlicet *justitiâ*, quæ vetat læsionem Juris alieni perfecti; & *charitate*, ut prodesse velimus cæteris. Utramque autem virtutem hanc complectitur brevissima hæc sententia: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Lev. 19.* Cui ibidem junguntur sequentia: *Ego Dominus Deus vester. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum. Non facies quod iniquum est, nec injustè judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: justè judica proximo tuo. Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proxi-*

mi tui. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. 3°. Quamvis nulla expresse addantur præcepta *ad se ipsum* pertinentia; omnis tamen cultura animi & corporis per ordinatum sui amorem præceptum, hoc ipso intelligitur præcepta. Neque homo ritè ad Deum & proximum se habere potest, qui sui suæque perfectionis curam non habet maximam. Et quæ umquam aliorum Legislatorum, seu Philosophorum Institutiones ad tantam perfectionem ascenderunt? sanè in confesso est, apud Gentes alias omnes obtinuisse vanissimam superstitionem, qua si non omnia quidem vitæ moralis officia corrumperentur; omnis saltem vera Religio pessumdabatur, sine qua Religione moralis disciplina in se satis præsidii non habet ad bonam beatamque vitam instituendam, quæ officiis Deo debitis maximè continetur.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Lex Mosaica permittebat, immo commendabat sacrificia humana *Lev.* 27. Quo quid crudelius, Deoque indignum magis esse possit? Sic autem habet versus 28. *Omne quod Domino consecratur* (*h. e.* omnia, quæ voventur Deo eo genere voti, quod *Cherem* hìc Hebræus nuncupat, & græcè dicitur ἀνάθημα, anathema) *sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino.* Nempe singularis hæc voti istius natura erat, ut quod per illud

lud vovebatur, absolutè, perfectè, & irrevocabiliter Deo consecraretur. Tum versus 29. istud notanter exprimit: *Et omnis consecratio, quæ offertur ex homine* (gr. ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, *ex hominibus*) *non redimetur, sed morte morietur.* *Resp.* Duplex *loc. cit.* anathematis genus distingui debet, alterum v. 28. significat donarium, quod Deo in sacros usus devovebatur, quodque pecuniâ redimi non debebat. Huic anathemati subjiciebantur tum res, tum personæ, quin tamen istæ supplicio mortis adficerentur. Hac ratione consecratus est *Samuel* à matre, antequam nasceretur, servitio Tabernaculi. Alterum anathematis genus, de quo v. 29. significat id, quod expressè Jure belli devovebatur internecioni, cujus exemplum habetur *Num.* 21. v. 2. *At Israel voto se Domino obligans ait: si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus* hebr. *Succidam, & anathematizabo eos.* Tum v. 3. *Exaudivitque Dominus preces Israel, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus: & vocavit nomen loci illius Horma, id est, anathema.* Item *Jos.* 6 *v.* 17. *Sitque civitas hæc* (Jericho) *anathema, & omnia, quæ in ea sunt, Domino: sola Rahab meretrix vivat cum universis, qui cum ea in domo sunt, abscondit enim nuncios, quos direximus.* In utroque autem hoc anathematis genere nihil turpitudinis est, nihil impietatis. Adde, quod non omnino negligenda videatur lectio Vulgatæ, quæ habet: *ab homine*, non autem *ex homine.* Item hæc verba *morte moriatur*, sic accipienda sunt, si sc. occidere liceat, quod Domino per *Cherem* consecratum est, ut si animal mundum sit, aut si hostes sint

morti à Deo addicti. Certè filios à parentibus Deo in holocauſtum offerri vetat lex *Deut.* 12. v. 31. Ubi Iſraëlitæ monentur ſub graviſſimarum pœnarum comminatione, ne Chananæorum infandos ritus æmulentur. *Non facies ſimiliter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas averſatur Dominus, fecerunt Diis ſuis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.* Et *Ezech.* c. 16. declarat Deus ſe Judæos judicaturum eſſe, quòd fuderint ſanguinem innocentem filiorum ſuorum, quos ſacrificaverant ſculptilibus Canaan. Generatim ſacrificia humana inter res abominabiles habita fuiſſe, colligitur ex *Iſa.* c. 66. v. 3. *Hæc dicit Dominus . . . ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Qui immolat bovem quaſi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quaſi qui excerebrat canem: qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat: qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo.* Quo loco Deus adſeverat ſe deteſtari ſacrificia Judæorum (nam mox ſequitur: *Hæc omnia elegerunt in viis, & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt*) eaque comparat homicidio, mactationi canis, oblationi ſanguinis ſuilli, & idololatriæ. Sed & conſtantiſſima fuit hæc Judæorum omnium, tam veterum, quàm recentiorum, ſententia, vovere neminem poſſe, multò minùs devovere, niſi quod ſuum eſt. Ex quo principio rectiſſimè concludunt Doctores Judæi in Miſſna, liberos & ſervos nullo modo devoveri poſſe. *Siquis*, inquiunt, *anathemate devoveret ſive filium ſuum, ſive filiam, ſive ſervum, ſive ancillam ex Hebræis, ſive agrum*

ad

ad tempus conductum, anathemata non sunt, quia nemo potest anathemate devovere id, quod planè suum non est. Et Hebræi quidem servi à Dominis suis devoveri non poterant, quia ex lege post certum tempus libertati reddi debebant; nec Cananæi, quia neque in istos ex lege *Moysis* Domini habebant jus vitæ & necis. Hi tamen siquando consecrabantur Domino, juxta Rabbinos per consecrationem hujusmodi nihil evenit aliud, nisi ut totum Jus, quod antea dominis in eos competebat, jam Sacerdotibus in usus sacros cederet, ut adeo uti possent assiduis eorum operis, quæ redimi non possent. Denique si, quod ajunt *Theistæ*, humana sacrificia à lege permissa fuerunt, cur igitur à Judæis tales victimæ nunquam oblatæ sunt? cur solis Gentium idolis illas immolarunt, ubi à Deo vero defecerant? *Samuel*, quem Anna mater Deo devoverat, cur interfectus non est?

Inst. Unde tam promptus *Abrahæ* animus ad immolandum filium suum Isaac, nisi mos iste apud Hebræos invaluisset? *Jephte* annon immolavit filiam suam, ut voto se liberaret? *Resp.* Ad 1*mum* *Abraham* non proprio motu ad hoc sacrificium sese accinxit, vel ut excellenti religionis officio perfungeretur; neque ex terrore aliquo ad placandum Numen, uti facere solebant idololatræ in calamitatibus, sed ex solo jussu Dei habentis potestatem in vitam & necem cujusvis hominis. Immo cùm *Abraham* voci Domini obediviſſet, Deus aliam suppeditando victimam satis declaravit, sibi minimè gratas esse humanas victimas, illamque præceptionem unicè ad faciendum obedientiæ periculum, vel probationem fuisse. Ad 2*dum*. Quotquot um-

quam opinati sunt, Jephtem re ipsa filiam suam in holocaustum obtulisse, constanter etiam æstimarunt, eumdem ingratam Deo victimam dedisse. *Si consuluissset*, inquit, *Chaldæus Paraphrastes Jud.* 11. v. 39. *Phinees Sacerdotem, redemisset eam pecuniis.* Idemque tradit, additam fuisse sanctionem illam seu statutum, nequis immolaret filium suum, aut filiam, quemadmodum fecerat *Jephte.* Vero similius tamen est, virginem Deo quidem consecratam fuisse; non verò immolatam. Neque id voviſſe *Jephte* videtur; nam sacer textus *Jud.* 11. v. 30. sic habet: *Votum vovit* (Jephte) *Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domûs meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon; eum holocaustum offeram Domino;* qui textus ex hæbræo sic reddi potest: *sic ut egrediens quod egressum fuerit de foribus domûs meæ in occursum meum, cùm reversus fuero cum pace de filiis Ammon, erit Domino, &* (vel) *offeram illud in holocaustum*, ita ut copulativum vim disjunctivi habeat, & sensus sit: *Et erit Domino, seu consecrabo Domino, si res ejusmodi fuerit, ut in sacros usus aut Domino sancta remaneat; quin & si fuerit ejusmodi, ut in holocaustum ritè offerri queat, etiam in holocaustum offeram.* Et sanè poterat *Jephtæ* occurrere camelus, asinus, vel canis, aliudve immundum animal, quod immolare lege vetitum erat. Hanc interpretationem sequuntur *Josephus, David Kimchi, Levi Ben Gersom*, aliique. Qui proinde verba illa: *& fecit sicut voverat*, intelligunt non de immolatione, sed de consecratione filiæ. Id quod ex eo confirmatur,

matur, quia virgo duorum mensium spatium exoravit à Patre, non ut mortem, sed ut virginitatem suam lugeret. *Dimitte me; ut duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.* v. 37. Et v. 39 *Expletisque duobus mensibus reversa est ad patrem suum, & fecit ei, sicut voverat, quæ ignorabat virum*, sc. per reliquum vitæ tempus. Immo dum Vulgata legit v. 39. & 40. *Exinde mos increbuit in Israel, & consuetudo servata est: ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel, & plangant filiam Jephtæ Galaaditæ diebus quatuor*; hebræus habet: *conveniant in unum filiæ Israel ad alloquendam filiam Jephtæ*; igitur vivebat filia Jephtæ, ad quam alloquendam singulis annis conveniebant. Unde *David Kimchi* ait: *Fecit ei* (pater) *domum, & introduxit in eam, atque ibi remansit secluſa à filiis hominum, & à rebus secularibus. Atque statutum seu mos invaluit, ut quot annis eam inviserent Israelitides.*

Si ais: Cur igitur *Jephte* scidit vestimenta sua, tantoque dolore correptus est, ut primum filia ei visa est? *Resp.* Quia filia erat unica ei proles, quam sciebat à viri consortio in perpetuum excludendam, sicque stirpem suam penitus extinctum iri. Quæ in contrarium adserit Doctiss. P. *Wouters*; ex dictis facilè diluuntur. Cæterà filia *Jephtæ* ex eo laudem maximam merebatur, quòd voto Patris se ultro subjecerit: *Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi, quodcunque pollicitus es, concessâ tibi ultione atque victoria de hostibus tuis.* Unde apparet filiæ libera acceptatio, obedientia, amor patriæ, fortitudo &c.

Obj.

Obj. II. *Mich.* 6. legitur: *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? . . . numquid dabo Primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* ubi certè humana sacrificia inter cætera licita numerantur. *Resp.* Propheta non hic recenset varia sacrificiorum genera, quæ Judæis lege permissa erant; sed ea quæ Israëlitæ ethnicis superstitionibus corrupti & depravati maximè salutaria & efficaciora existimare poterant ad conciliandum Deum; & inter alia numerat sacrificia humana, quæ sæpius Israëlitæ idolis obtulerunt in valle *Ennon.* Dein negat hæc omnia, quæ apud eos in usu fuerant, & qui cæteris efficaciora fuerant opinati, ullam habere vim ad placandum Deum; atque ita prosequitur: *Indicabo tibi, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & ambulare sollicitum cum Deo tuo.*

QUAESTIO III.

Utrum lex Ceremonialis Israëlitis à Deo convenienter data fuerit?

129. Lex ceremonialis.

Inter cæteras Legis Mosaicæ partes ea maximè, quæ de ritibus & ceremoniis constituta est, impiorum hominum calumnias nullâ non ætate sustinuit: his nempe instituta hujusmodi circa res minimas visa semper sunt aliena à divina Majestate. Ita *Celsus* olim, & nunc Theistæ omnes temere criminantes in tanta rituum multitudine nullam

vel

vel utilitatem esse, vel dignitatem. Veteris autem Legis ceremoniæ convenienter dividuntur in *Sacrificia*, *Sacramenta*, *Sacra*, & *Observantias*. Nam præcepta ceremonialia ordinantur ad cultum Dei, in quo tria spectari possunt, *ipse cultus*, *cultores* & *instrumenta colendi*. *Cultus* ipse speciatim consistit in sacrificiis, quæ in Dei reverentiam offeruntur. Instrumenta cultûs pertinent ad *sacra*, veluti *Tabernaculum*, *Arca Fœderis*, *vasa*, *vestes sacerdotales*, *solemnitates*. In cultoribus duo spectari possunt, sc eorum institutio ad cultum divinum, quod fit consecratione quadam vel populi, vel ministrorum: id autem præstant *Sacramenta*. Dein spectari potest eorum ratio vivendi & agendi, qua discernuntur ab his, qui verum Deum non colunt: quò pertinent *observantiæ* in cibis, vestimentis, & aliis hujusmodi. Ad Sacrificia revocantur oblationes & munera.

130. Sapienter data fuit.

Præcepta ceremonialia ad veræ Religionis præsidium, atque ad depellendam idololatriæ pestem, quæ Hebræorum etiam animos infecerat, sapientissimè instituta fuerunt. Fuisse Israelitas tempore *Moysis*, & post illius obitum idololatriæ & superstitionibus ethnicis addictissimos, manifestum fit ex narrationibus *Moysis*, veluti *Exod.* 14. v. 12. ex facto Israelitarum. *Exod.* 32. Ex *Ezech.* c. 2. v. 8. c. 20. à v. 5. c. 24. v. 14. *Jerem.* c. 2. v. 28. c. 7. v. 9. Ut igitur idololatriam omnem & impietatem hanc aboleret Deus, legem ceremonialem dedit, cujus præcepta Hebræos intra veræ Religionis limites continerent, ut colligitur ex *Ezech.* c. 20. ubi Deus populo in memoriam revocat idololatriam illam, qua dum in Aegypto vivesent,

rent, se ipsos polluerunt. v. 4. 7. & 8. Deinde recenset Leges morales, quas illis ex Aegypto nuper egressis dederat. v. 10. 11. & 12. Postea gentis illius contumacis mores & ingenium refert, quòd scilicet leges illas divinas contemnens, in superstitiones ægyptiacas relapsa sit. Tum v. 25. subdit: *Ergo & Ego eis dedi præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*, h. e. ex mente plurimorum Ss. PP., leges ceremoniales per se vitam non adferentes, sed ad frangendam populi duram cervicem aptissimas, omnemque tollendam occasionem ad impios Gentium Ritus dilabendi. Et sanè leges illæ tum primùm Israelitis datæ sunt, cùm in deserto ingenii moribus ægyptiacis addictissimi indicium insigne edidissent. Constat enim Deum primùm decem duntaxat præcepta dedisse, nec ullam fecisse mentionem cultûs tot operosis ceremoniis præstandi; sed tum demum grave hoc jugum illis imposuisse, cùm fœdus de Deo vero colendo violassent, & vitulum conflatilem adorando animi moribus ægyptiacis pertinaciter adhærentis luculentum nimis testimonium præbuissent. *Ante offensam* (inquit S. Hieronymus in c. 20. *Ezech.*) *decalogum tantùm accepere Israëlitæ: post idololatriam verò & blasphemiam multiplices legis ceremonias.* Et S. Chrysostomus: *Non ad virtutem*, inquit, *conferunt ejusmodi leges, sed eis datæ fuerunt pro fræno, & ut causas negotii, & occasionem occupationis præberent.* Quin ipse Maimonides Judæorum doctissimus in More *Nevochim* de legis ceremonialis ratione sic loquitur: *Nosti ex pluribus Scripturæ locis, quòd prima legis intentio sit idololatriam tollere,*

memo-

memoriam illius & omnium eorum, quæ illi adhærent, aut hominibus ad illam minimam occasionem prbent, delere. Et re ipsa quantam vim habuerint Ceremonialia ad idololatriam abolendam, patet ab inductione. Plurima ut omittam; circumcisio adjumenti permultum adferebat, tum quia erat signum distinctivum, quo *Abrahæ* posteri à quaquaque alia gente discernebantur; tum quia erat signum memorativum fœderis, quod Deus cum *Abraham* pepigerat; erat quoque signum initiativum, quo homines Religionis judaicæ Sacris & Jehovæ cultui apertè devotos se profitebantur, & ad servandam omnem legem Mosaicam se ipsos obligabant. Similiter *Sabbathum* Isrëlitas à cæteris populis secernebat, præterquam quòd esset signum memorativum creationis Mundi, significaretque Israëlem Deo Creatori sacrum esse. *Ciborum discretio* non poterat non Judæos à Gentilium communione abstinere: quo enim pacto mensam communem haberent, quorum illis cibi immundi, his iidem erant deliciæ? nec minus idololatriæ obstaculum ponebant *Sacra* pleraque certis locis, personis & temporibus adstricta. Sic *v.* g. Israelitas à cultu idololatrico multùm coërcebat lex illa, juxta quam ultimo affici supplicio debebat, qui sacra faceret extra tabernaculum, aut eum locum, quem Dominus elegisset. Hac sc. ratione à vicinarum Gentium altaribus & idolis avocabantur. Eadem lex confirmabat opinionem de unitate Dei. *Quia Gentiles*, inquit S. Thomas, *diversa templa constituebant, & ut firmaretur in animis hominum fides unitatis divinæ, voluit Dominus, ut uno tantum in loco sibi sacrificium offerretur.* Sic

etiam

etiam uni tantùm familiæ sacra obeundi facultatem concessit lex ritualis, ut reliquos à Sacrificiis privatis & superstitionibus avocaret. &c.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Deus plerosque Ethnicorum ritus in legem cultumque suum transtulit. Ita *Spencerus*, & *Marshamus*. *Resp.* Istud falsò & perperam adseritur, nam Deus ipse non semel significavit Israelitis, se coli velle ritibus diversis ab illis, quibus Ethnici, & inter cæteros Aegyptii idola sua colebant. *Deut* c. 12. v. 30. *Cave, ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversæ, & requiras ceremonias earum, dicens: sicut coluerunt gentes illæ Deos suos, ita & ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo . . Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* Præterea si Deus præcepta ceremonialia condidit ad idololatriam abolendam; quomodo ipse Gentium ritus in Sacrorum numerum adoptaret? si etiam ritus legales instituit, ut Christi & Mysteriorum ejus figuræ essent, teste Apostolo ad *Coloss.* 2. *Nemo vos judicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum. Corpus autem Christi*; an conveniebat, ut ex superstitione Ethnicorum illos adsumeret? Certius itaque est, ritus Israelitarum plerosque omnes vel è Patriarcharum moribus manasse, veluti ritum primitiarum ac Decimarum Deo offerendarum. Gen. c. 4 & 14. ac 18. Altarium ac Titulorum in honorem Dei erigendorum,

eaque

saque olei effusione dedicandorum, & sacrificiorum oblationem. *Gen.* 8. 31. & 35. Ex opposito verosimillimum est, Ritus hujusmodi ab Hebræis ad Gentes traductos fuisse, dæmone divini cultûs æmulo autore: Quippe Patriarchæ veteres Deo sacrificaverunt, priusquam vel nata esset idololatria.

Inst. 1. Apostolus de Israëlitis agens *Act.* 13. *Deus*, inquit, *per* 40. *annos mores eorum toleravit in deserto*: ubi per mores, quos Deus tulit, intelligi videntur consuetudines aliquæ, pueriles magis quàm profanæ, quarum alias ad tempus sustinuit, alias in Sacrorum suorum classem transtulit. Unde etiam Deus, ubi de præcipuis Ritibus & institutis agit, non tam præcipere, quàm permittere videtur, uti *Exod.* 20. v. 25. *Si altare lapideum facere velis mihi, non ædificabis è sectis lapidibus.* Et *Lev.* 1. v. 2. *Siquis è vobis obtulerit oblationem Domino, offeratis de pecoribus.* Item *Num.* 7. *Si quispiam voverit votum ad separandum se Domino, se à vino, &c.* Proinde Ritus illi permissi potius fuere, & non præcepti. *Resp.* Ad 1*mum*. Israelitarum mores, quos Deus sustinuit in deserto, frequentes fuere defectiones ad cultum Idolorum, transgressiones legis, murmurationes adversus Deum & *Moysem*, ut constat ex c. 20. *Ezech.* v. 13. & *seqq.* Ad 2*dum*. Ceremonias omnes, quæ divinâ lege continentur, non modò permissas, sed etiam à Deo præceptas fuisse, liquet ex *Deut.* 5. v. 31. ubi Deus ita ad *Moysen*: *Tu verò hìc sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque judicia . . . Custodite igitur, & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis.* Quæ autem objiciuntur, præcepta

hypothetica tantum sunt, non absoluta: nam siquis altare lapideum Deo erigeret, quod licitum erat (poterat enim de terra facere) ex lege divina debebat illud exstruere ex lapidibus insectis. Siquis Sacrificium offerret statis temporibus, aut ex devotione, præcepto tenebatur, ut victimas lege præscriptas offerret. Siquis voto Nazareatûs se obstrinxisset, quod liberum erat, ex præcepto abstinere à vino, & quovis inebriante potu debebat. Quod verò ait Apostolus ad *Gal.* 4. *Cùm essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes*, per elementa mundi nequaquam intelligit, ut vult *Spencerus*, ritus Israelitis cum mundo & Gentibus communes, sed Legis ceremonias vocat elementa mundi propter earum ruditatem & imperfectionem, metaphorâ sive à natura, sive ab arte desumptâ.

Obj. II. Num Deus tot ritibus omni virtute vacuis, & hominem externum duntaxat exercentibus, Ecclesiam cultumque suum onerare voluerit, nisi populus ex gentium consuetudine illorum insano propè amore jam antea captus fuisset? profecto ritus illi plerisque per duo annorum millia veris Dei cultoribus incogniti fuerant, nec nisi sub *Moysis* tempora primum in leges abierunt: Nec etiam videtur Deus alio ex capite horum rituum minutias sic ad apicem determinasse, iisque detrahi vetuisse, vel addi, nisi ut Hebræorum ritus plerique ritibus Gentium adfines peculiaribus quibusdam circumstantiis ab iis discernerentur. *Resp.* Quis neget Deum habuisse fines infinitâ sua sapientiâ dignos, ut tot ritus ex se licet inutiles ac infirmos, utiles tamen ad finem à se intentum præscriberet? videlicet ut funestam idololatriæ pestem abole-

aboleret, ut divinorum beneficiorum conservaret memoriam, ut Excellentiæ divinæ sensum hominum animis implantaret, ut mentis attentionem Dei cultoribus perquam necessariam esse edoceret. Sed & ritus illi hominem externum ita exercebant, ut tamen animum divino cultui attentiorem redderent. Ad 2*dum*. Ritus omnes per annos bis mille veris Dei cultoribus incognitos fuisse, perperam adserit *Spencerus*, cùm certum sit post *Abelem* etiam Patriarchas in Lege naturæ Deo sacrificasse. *Iterum dico, & dicere non cessabo* (inquit S. Chrysostomus *Hom.* 17. in *Gen.*) *non quia Deus Sacrificiis indiget, sed vult & per hæc ostendi gratum animi adfectum . . . Neque Cain habuit doctorem aliquem, neque Abel suggestorem & consiliarium: sed uterque suæ conscientiæ magisterio, & sapientiâ divinitus humano generi suppeditatâ ad hanc oblationem incitatur.* Quod autem S. D. de *Caino & Abele* statuit, id ipsum de cæteris Patriarchis congruè dicitur, eos nempe sacrificasse Deo naturâ duce, & divino Spiritu adflante. Ad 3*tium*. Rituum Sacrorum minutias Deus præscripsit, ne Israelitæ ad idololatriam proclives ritum quemdam superstitiosum admiscerent. Adfinitas autem Judaicorum & Aegyptiorum rituum inde manavit, quòd Aegyptii Ritus aliquos Hebræorum in Sacra sua transtulerint. Quod ut facerent, facile ab ipsis obtinuit fama, quæ de *Abrahamo*, *Josepho* & *Moyse* percrebuerat, tum etiam Religionis judaicæ tot prodigiis confirmatæ splendor, ac etiam frequens utriusque Nationis commercium. Denique ritus illos Judaicæ Religionis à Deo in Lege præscriptos à Gentibus ante Mosaica tempora frequen-

tatos esse non constat, neque ex Scriptura Sacra, ex Traditione, neque ex humanæ Historiæ monumentis, quæ ante *Moysis* ævum nulla sunt.

QUAESTIO IV.

Utrum Lex Mosaica jam abrogata sit?

131. Nullum est argumentum, in quo Judæi copiosiùs, aut cum majori contentione, post urbis excidium ad nostra usque tempora, versati sunt, quàm in adstruenda Legis Mosaicæ æternitate: totius Legis immutabilitas facilè principem inter eorum dogmata locum obtinet. Præcepta *moralia* nulli obnoxia mutationi fuisse, & etiamnum salva perstare consentimus, quia ad Legem naturæ pertinent. Igitur de Legibus *judicialibus* & *ceremonialibus* duntaxat controversia est, utrum istæ aliquando abrogatæ sint?

132. Lex vetus est mutabilis. *Constitutio Mosaica adeo immutabilis non fuit, ut eam aliquando interire necessum fuerit.* Nam 1°. Deus ipse per *Moysen* aliosque Prophetas voluntatis suæ interpretes istius Legis interitum prænunciavit. *Deut* 18. *Prophetam de gente tua, & de fratibus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Sicut autem *Moyses* erat Mediator Fœderis, & Legislator, Rex Israel, & eminenter Sacerdos; sic etiam Propheta ille excitandus debebat esse Legislator, & Mediator Fœderis, Rex & Sacerdos. Qui quidem characteres omnes tribuuntur Messiæ. 2°. Deus per Prophetas declaravit se novum cum hominibus fœdus initurum Mediatore Messia, *Jerem.* 31. *Ecce dies veniet, dicit*

dicit Dominus, & feriam Domui Israel, & Domui Juda fœdus novum non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus: & hoc erit pactum, quod feriam cum Domo Israel: post dies illos dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi mihi erunt in populum. Duo hìc memorantur fœdera distincta & diversa, unum jam olim initum, & alterum post certum temporis spatium adhuc ineundum. *Isa. c. 7. In novissimis diebus . . de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* 3°. Novum promittitur Sacerdotium ab *Aaronico* diversum: nam Messias ex Tribu Juda nasciturus fungi Sacerdotio debebat juxta illud *Zach. 6. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce vir, Oriens nomen ejus, ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit Sacerdos super solio suo.* Immo hoc Messiæ Sacerdotium debebat esse diversi planè ordinis juxta illud Psalmi: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et apud *Isaiam* c. 66. v. 21. Deus significavit assumendos esse Sacerdotes ex Gentibus: *Et assumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus.* 4°. Nova etiam prænunciantur Sacrificia, quæ Sacerdotii mutationem necessariò post se trahunt. *Malach. 1. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen*

meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Et *Dan.* 9. *Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, & in medio hebdomadis deficiet hostia, & Sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad finem perseverabit desolatio.* 5°. *Dan.* 9. disertis verbis prænunciatus est Reipublicæ, urbis & templi, cui Sacrificiorum apparatus erat alligatus, interitus sempiternus. *Et occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est: & civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.* Denique in singulis fere Prophetarum paginis prænunciatur populus novus ex omnibus Gentibus conflatus Messiæ imperio subjiciendus. Fuit hæc jam conditio pacti Abrahamitici, ut in semine Abrahæ benedicerentur omnes cognationes terræ. Confirmatur adsertum ulteriùs *ex natura Legis Mosaicæ*: erat enim lex ista adcommodata certæ regioni, solis data posteris *Abrahæ* ad eos ab omni alia gente discernendos, & ad idololatriam abolendam instituta: non debuit igitur lex hujusmodi perstare diutius, quàm regnum Dei angustis terræ illius finibus contineretur, Judæi à cæteris Gentibus separati viverent, atque idololatriæ pestis grassaretur. Fuisse autem legem illam terræ *Chanaan* ita adcommodatam, ut nec à Judæis extra illam servari posset, constat attendenti ad præscriptas solemnitates, quæ pars illius constitutionis esse universalis debebat. Non *Neomeniæ*, istæ enim, sicut & cætera festa ex lunæ motu pendentia, determinabantur ex phasium lunarium observatione facta

facta *Jerosolymis*: hæ autem observationes nonnisi terræ *Chanaan* habitatoribus innotescere poterant; nec fieri potuit, ut cæteræ Gentes remotiores, quas Sol & Luna ocyus aut serius invisunt, eodem cum Judæis tempore festivitates illas juxta præscriptum Legis observarent. Hinc fit, ut Judæi apud nos degentes duplicem Neomeniam singulis mensibus servare soleant, eoquod diem præcisè ignorent. Non etiam celebrari ab exteris Gentibus possunt festa *Paschatis*, *Pentecostes* & *Tabernaculorum*, ad quorum nempe celebrationem Judæi Hierosolymam ascendere debebant. Quomodo enim homines ex Germania singulis annis ter Hierosolymam omnes proficiscantur? Nec denique *annus Sabbaticus*: nam ille incipiebat die 10. mensis *Tisri*, qui Septembri maximè respondet: & ideo ab hoc die otium terræ ordiebantur, eoquod in ista regione ante istud tempus omnes terræ fructus, segetes, uvæ & poma colligerentur: legem hanc in nostris partibus servari non posse certum est. Immo nec ipsi Judæi in captivitatem Babylonicam deportati leges istas servaverunt, neque illarum observatio à profelytis non circumcisis exigebatur. Igitur solis *Abrahæ* posteris data fuit, quoad usque terram *Chanaan* inhabitarent. Nec minus certum est, regnum Dei angustis illius terræ limitibus non semper fuisse concludendum, quia Gentium ad Messiam vocatio res est à Prophetis frequentissimè decantata. Nec denique idololatria terrarum Orbem semper infectura erat, cùm Judæi ipsi uno ore doceant, Gentes in cognitionem veri Dei per Messiam adductas, idola & superstitiones esse relicturas. His omnibus accedit, quòd præcepta cere-

monialia & judicialia nullam prorsus vim habuerint, emundandi animas & sanctificandi à gravioribus delictis, esto quædam fuerint Sacrificia expiatoria pro levioribus peccatis per ignorantiam, aut inadvertentiam commissis. Inde est, quòd ipsi Prophetæ tam multa de Sacrificiorum vanitate fuerint vaticinati. *Misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plusquàm holocausta. Ose.* 6. Hactenus fere Cl. Hooke.

133. Est nunc abrogata.

Lex Mosaica jam abrogata est. Non aliud fortassis efficacius hujus rei testimonium sit, quàm ipsa præsens Judæorum conditio, quæ rescissum fœdus Mosaicum luculentè demonstrat. Fœdere illo obstrinxerat sese Deus ad tuendam Hebræorum gentem, eumdemque ab aliis separatam speciali providentiâ regendam: quo etiam Regis munere diutissimè perfunctus est Deus, leges dando, mittendo Prophetas, cæteros Ministros constituendo, dividendo pro meritis præmia vel supplicia, aliaque omnia regalis potestatis munia obeundo. Verùm à 1700. annis Judæorum res prorsus deseruit, nullos misit Prophetas, urbis & templi destructionem, totius Gentis in omnes terræ partes dispersionem permisit; cumque hæc omnia eventura Prophetarum ore prædixerit, his malis se laturum melam nuspiam pollicitus est. Quin legum suarum observantiam Judæis impossibilem Deus reddidit, uti ex dictis colligitur, atque in Judæos tamquam in perduelles per tot jam secula pœnis gravissimis animadvertit. Sine Rege, sine Lege, sine Sacerdotibus, sine templo, sine Sacrificiis vivunt miseri Judæi, non jam amplius terrores Gentium, sed mancipia & ludibria populorum.

Respon-

Respondetur ad objecta.

Obj. 1. Verba *Deut.* 18. intelligi non debent de singulari aliquo Propheta, qui *Moysi* similis esset, nam *Deut.* 34. v. 10. dicitur: *Non surrexit ultra Propheta, sicut Moyses*; sed solum de successione Prophetarum, idque efficitur 1°. ex occasione istius promissionis, quæ fuit relativa ad petitionem populi: petierat hic, ut non amplius per se loqueretur Deus, sed ut ministerio *Moysis* eos erudiret: *Loquere tu nobis, non loquatur Dominus*: annuit Deus Judæorum votis, significavitque se non amplius immediatè, sed per Legatos & Prophetas suos allocuturum eos esse. 2°. Hunc sensum suadent ea, quæ immediatè præcedunt: *Gentes istæ, quarum possidebis terram, Augures & Divinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.* Et quæ mox subsequuntur: *Propheta autem, qui arrogantiâ depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.* Ergo. *Resp.* Ad 1*mum*. *Non surrexit ultra Propheta* purus homo, *sicut Moyses*, ubi non excluditur Messias Deus Homo, infinitè major. Est autem Christus Messias *Moysi* similis, inquantum uterque fuit Redemptor, Legislator, & Propheta, Christus tamen modo nobiliori, utpote cujus figura tantum erat *Moyses*. Ad 2*dum*. Falsum est, sermonem ibi esse de serie Prophetarum, nam dicit Moyses: *Prophetam, sicut me, suscitabit tibi Dominus*; igitur singularem, sicut *Moyses* erat singularis, nec so-

lùm ratione perſonæ, ſed ob peculiares etiam prærogativas, quas non habuit ullus alius Propheta, ut patet ex c. 34. *Deut. Et non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit per eum, ut faceret in terra Aegypti Pharaoni, & omnibus ſervis ejus, univerſæque terræ illius, & cunctam manum robuſtam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyſes coram univerſo Iſrael.* Propheta igitur *Deut.* 18. prænunciatus *Moyſi* ſimilis debebat & ipſe excellere tum familiaritate cum Deo, tum virtute faciendi ſigna & prodigia: hic autem ſolus fuit Meſſias Chriſtus. Præterea novus hic Propheta non dicitur docturus legem Moyſis, quod cæteri Prophetæ fecerunt, ſed legem novam: *Prophetam ſuſcitabo eis . . ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.* 2°. Promiſſionem Dei fuiſſe relativam ad petitionem populi, haud diffitemur: ſed quæ fuit populi petitio? *Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc amplius non videbo, ne moriar.* Petiit ergo populus, ut Deus non fulgura inter & tonitrua, ſed per *Moyſen* Mediatorem ad ipſum loqueretur; atque huic petitioni annuit, promittens ſe non amplius daturum Legem in tanta majeſtate, ſed in venturis ſeculis, ubi leges erunt promulgandæ, ſe excitaturum Prophetam ſimilem *Moyſis*, & poſiturum verba, ſeu leges in ore ejus. Unde merito Apoſtolus ad *Hebr.* 12. de Legis Judaicæ & Chriſtianæ promulgatione loquens ait: *Non acceſſiſtis ad tractabilem montem, & ad ſenſibilem ignem & turbinem*

& caliginem & procellam & tubæ ſonum & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſaverunt ſe, ne eis fieret verbum . . . ſed acceſſiſtis ad Novi Teſtamenti Mediatorem JESUM. Sed & iſta interpretatio Judæis omnibus aut fere omnibus ſic perſuaſa erat, ut S. Petrus in ſermone ad populum *Act.* 3. & S. Stephanus coram Principibus Judæorum, iſta *Moyſis* verba *ad literam* intellecta absque omni hæſitatione Chriſto tribuerent, quod certè non feciſſent, ſi eâ tempeſtate intellexiſſent illa Judæi de ſucceſſione Prophetarum.

Inſt. Populus non cogitabat de nova Lege; igitur ſolum rogabat, ut Deus ſub Veteri Teſtamento eos per Prophetas alloqueretur. *Reſp.* Cogitaverit Populus, ſive non; adhuc Dei reſponſio erat relativa ad petitionem illius: petierunt, ut in ferendis legibus non tanta majeſtate uteretur, neque per ſe illas ferret; reſpondit Deus, ſe deinceps in condendis legibus ad Reipublicæ judaicæ conſtitutionem neceſſariis miniſterio *Moyſis* uſurum eſſe, ac cùm leges novas condere vellet, ſe Prophetam ſimilem *Moyſis* excitaturum eſſe.

Obj. II. Verba illa *Zach.* 6. ad *Zorobabelem* referri debent, ita ut ſenſus ſit: *Et erit Princeps ſuper ſolium ſuum*, nam *Cohen* etiam Principem ſignificat. *Reſp.* Inane hoc Judæorum commentum eſt, cùm verba præcedentia: *Ecce vir, Oriens nomen ejus, ipſe portabit gloriam*, de *Zorobabele* dici non poſſint, nam *Oriens*, hebr. *germen* propriè Meſſiæ convenit: vocatur enim ab *Iſaia germen Domini*, & à Jeremia *virga de radice Jeſſe & germen juſtum.* Atque ita interpretati

ſunt

sunt RR. veteres, & Talmudista *Jerosolymitanus*. Ad 2*dum*. Etsi *Cohen* aliquando virum nobilem, Regi proximum, aut virum à consiliis secretioribus significet, uti 2. *Reg.* 20. v. 26. sub hac tamen notione intelligi nequit *Zach.* 6. c. *cit.* quia ille, cui *Oriens* nomen, portabit gloriam, & sedebit super solium. Id quod maximè confirmatur ex lectione chaldaica, quæ habet: *Ecce vir Messias nomen ejus, qui revelandus est, & magnificandus, & ædificaturus templum Domini.*

Inst. Quòd ista de *Zorobabele* intelligi debeant, colligitur ex v. 11. ubi *Jesu* filius *Josedec* jubetur alteram illi coronam imponere. *Resp.* Versus 11. sic habet: *Et sumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Jesu filii Josedec, Sacerdotis magni.* Igitur Propheta jubetur ponere coronam in capite Jesu filii Josedec, Sacerdotis magni, quin ulla fiat mentio *Zorobabelis.* Quod autem dicitur v. 13. *Et erit consilium pacis inter illos duos*, sensum habet istum: Et stabunt simul duo throni Regiæ & Sacerdotalis potestatis, sive Messias idem erit Rex & simul Sacerdos.

Obj. III. Ipse Moyses multis in locis Legem suam vocat legitimum sempiternum: & *Deut.* 29. v. 29. jubet, ut in sempiternum præcepta omnia serventur: *abscondita Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis & filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus. Psalm* 118. *De testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.* Ergo. *Resp.* Quæcumque *Moyses* & Prophetæ de Legis æternitate dixerunt, non de æternitate *absoluta*, sed *relativa* intelligi debent, quæ sc. non ad omnia futura tempora, sed ad definitum

finitum Reipublicæ judaicæ ævum pertineat. Notio hujus vocis *æternitas* quandocunque de rebus humanis dicitur, non potest non esse relativa, quia cum fine Mundi cessabunt omnia. Aliquando igitur designat vox illa durationem usque ad Mundi finem, quandoque aliud definitum tempus, aliàs indefinitum. De Lege Mosaica ubi eadem vox adhibetur, nonnisi certum tempus significat, ut constat ex dictis *num.* 132. & 133.

Obj. IV. Mutatio legis divinæ vel totius, vel alicujus partis repugnat infinitæ sapientiæ Legislatoris omnia ob certum finem agentis, repugnat etiam divinæ immutabilitati. *Resp.* Lex Mosaica neque erat summæ & consummatæ perfectionis, neque æternam illam & immutabilem decrevit Deus, neque eadem semper necessariò futura erat ratio conservandæ legis; proin aboleri potuit & salvâ Dei sapientiâ, & immutabilitate.

Obj. V. Ex præsenti Judæorum conditione non magis efficitur rescissum esse pactum Mosaicum, quàm tempore captivitatis Babylonicæ idem argui potuit, nempe tunc quoque carebant civitate, templo & sacrificio. *Resp.* Dispar maximè est utriusque conditionis ratio: sive enim utriusque calamitatis durationem spectes, nulla est proportio: sive ipsam Judæorum sortem consideres, dissimilis maximè conditio est, nam tempore *Nabuchodonosoris* remansit Jerosolymis magna pars populi, & divinâ providentiâ factum est, ut nullæ tunc transferrentur coloniæ, nec vicini populi vacua loca occuparent; & post ultimum excidium Judæi omnes è terra *Chanaan* exulare jussi sunt. Captivitatis Babylonicæ tempore Judæi suos habebant judices,

qui

qui secundum Legem Mosaicam Jus dicerent; nunc ubique legibus alienis obtemperant. Illis temporibus recreabantur Prophetarum vaticiniis: 70. annos determinaverat *Jeremias*, *Isaias* Liberatorem *Cyrum* nomine compellaverat, novæ urbis & templi formam descripserat *Ezechiel*. Et quæ nunc rerum Judaicarum facies?

Inst. Deus etiamnum Judæos speciali providentiâ tuetur, & conservat. *Resp.* Deus nunc quoque Judæos conservat, quia hoc patribus eorum promiserat jam ante legem mosaicam. 2°. Ut hæc infelix eorum conditio testimonium Christo perhibeat evidentissimum. 3°. Ad fidem Evangelii confirmandam. 4°. Ut vel sic admiremur benigna Dei consilia in reliquias hujus gentis: erit etiam aliquando, cùm ad Christi fidem conversi in ejusdem Religionis societate cum Gentilibus conjungentur juxta illud *Ose.* 3. *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificiis, & sine altari, sine Ephod, & sine Teraphim: & post hæc revertentur, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum.*

Obj. VI. Fœdus Sinaicum jam tum rescissum est, ubi Israelitæ cœperunt habere Reges, tunc enim Deus desiit esse Rex eorum. *Resp* N.A. Quia Regum electio non ad populum sed ad Deum pertinebat, ut constat ex *Deut.* 17. ubi Moyses ad populum: *Cùm ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & dixeris: Constituam super me Regem, sicut omnes habent per gyrum nationes; eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de medio fratrum tuorum.* Quæ verba satis manifestant

stant *Theocratiam* prorsus abolitam non esse, ubi Reges sunt constituti, præsertim cùm isti nullam haberent potestatem *legislativam* cæteroquin propriam illi, qui omnibus supremæ majestatis Juribus gaudet; sed *executivam* duntaxat, qua Vicarii & Pro-Reges carere non possunt. Certè nullas umquam ab ipsis rogatas leges invenimus, aut ulla ex Mosaicis Institutis abrogata ab ipsis fuisse. Præterea Deus post constitutos Reges Jure suo frequenter usus est, non modo in illis eligendis, sed etiam exautorandis. Ita Saulem ob administratam malè Rempublicam, quodque jussis suis non obtemperasset, abjecit, totamque ejus familiam à solio excluſit, *Davidem* autem elegit, in cujus familia non fuit sceptrum nisi ad remunerandas hujus Principis virtutes. In regno etiam Israel per Prophetas suos Deus Reges alios exauctoravit, elegit alios absque illa legum immutatione. Quin ipsi Judæi Reges suos ut Dei Vicarios & Ministros semper habuere. Hinc *Isaias* c. 33. *Dominus enim Judex noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos.* Et *Ps.* 149. *Lætetur Israel in eo, qui fecit eum, & filii Sion exultent in Rege suo.* Nec rescissum fœdus Mosaicum fuit in captivitate babylonica, quia tunc quoque Deus per *Aggæum* significavit, se semper Regem & Deum eorum esse. *Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Jesu fili Josedec Sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus Deus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum) verbum quod pepigi vobiscum, cùm egrederemini de terra Aegypti: & spiritus meus erit in medio vestrûm, nolite*

nolite timere. Ubi Deus fœdus istud (*Jehovah elegisti hodie, ut sit tibi Elohim* (id est, Dominus, Dux & Imperator) *& ambules in viis ejus, & custodias ceremonias illius, & mandata atque judicia, & obedias ejus imperio; & Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris. Deut.* 26.) olim initum esse ratum firmumque declarat. Illud tamen facilè largiendum est, Theocratiam paullatim imminutam fuisse. Perfectissimus theocratici hujus regiminis status fuit, quamdiu *Moyses* vixit, atque Israelitæ in deserto circumerrabant. Post subactam terram *Chanaan* etsi præsto semper esset eorum rebus Dei præsidium, haberentque oraculum, quo de voluntate divina in rebus gravioribus certiores fierent, Deus excitaret viros sapientiâ & fortitudine conspicuos, qui dictatorio Jure populum suo nomine regerent, & ab hostibus liberarent; multis tamen partibus minùs perspicua erat Dei in rebus civilibus interventio, quæ amplius defecit post constitutum Regem. Quamvis enim priores duo Reges à Deo electi fuerint; eorum tamen arbitrio multa esse facta, Scripturæ testantur, uti bella & fœdera inita, institutos Magistratus inferiores, pœnas capitales irrogatas; quæ omnia in prima Reipublicæ origine absque divino jussu fieri non poterant. Postea regnum hæreditarium factum est, siluit Oraculum, & Deus rebus civilibus sese rariùs immiscuit. Tandem post captivitatem babylonicam spiritus propheticus, omniaque extraordinaria Dei providentiæ indicia prosus defecerunt.

a) Quales fuerint promissiones Legis Mosaicæ, an temporales tantùm, an etiam spirituales & æternæ; commune

ne dubium est, inquit SUAREZ de LL. *Libr.* 9. c. 6. S. THOMAS putat promissa illius legis fuisse tantùm temporalia, eoquod lex illa disponeret ad Christum, sicut imperfectum ad perfectum, fueritque data populo adhuc imperfecto in comparatione perfectionis, quæ per Christum futura erat. Nec desunt plures S. Scripturæ loci, quibus ista opinio confirmetur. Sic *Deut.* 28. v. 1. & 2. *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias, atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra. Venientque super te omnes benedictiones istæ, & apprehendent te, si tamen præcepta ejus audieris.* Et *Isa.* 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* In eadem sententia fuit S. AUGUSTINUS, dum L. 18. de *Civ.* c. 11. ait, legem appellari vetus Testamentum, quia promissiones terrenas habet; & per Jesum Christum futurum fuerat Testamentum Novum, in quo regnum cœlorum promitteretur. Quin tamen antiqui Mosaicæ legis cultores vitam æternam per eam observantiam speraverint, dubium non est, uti palam fit ex ipsius S. Scripturæ testimoniis. Sic DAVID *Ps.* 118. ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* TOBIAS c. 2. filio dicebat: *Filii Sanctorum sumus, & vitam exspectamus, quam daturus est Deus iis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Et 2. *Mach.* 7. ex septem unus dixit: *Rex Mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* DANIEL. c. 12. v. 2. *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium.* Et *Luc.* 18. princeps quidam Judæorum interrogabat Christum: *Quid faciens vitam æternam possidebo?* igitur notitiam & spem illius habebat. Dicendum itaque videtur, quòd equidem lex propriè sumpta non promiserit præmia æterna, sed temporalia; at nihilominus homines sub lege constitutos habuisse promissionem vitæ æternæ, ac spiritualium bonorum, eorumque fidem ac spem, *ex Patrum traditione.* Nempe ab ipso Mundi exordio extitit Religio revelata, quæ docebat unum Deum, rerum omnium Moderatorem æquissimum, non tantum in hac vita, sed & in futura habiturum esse ratio-

nem bonorum & malorum: docebat etiam homines à primæva felicitate lapsos, esse reparandos per futurum Redemptorem. Religio hæc primùm data *Adamo*, servata apud ejus posteros, post diluvium confirmata *Noëmo*, postea expressiùs *Abramo* aliisque Patriarchis, hæreditario veluti Jure ad Hebræos transmissa est. Ex his & aliis S. Scripturæ testimoniis id simul confici.itur, Hebræos animorum immortalitatem credidisse.

QUAESTIO V.

Quo tempore Lex Mosaica fuerit abrogata, ac mortifera esse cœperit?

134. Lex Vetus mortua.

Legem Veterem mortuam, & à Christo abrogatam esse quoad omnia præcepta, etiam moralia, inquantum hæc præcisè Mosaica sunt, & positiva antiquæ legis (quatenus enim naturalia sunt, aut etiam à Christo recens confirmata, etiamnum vigent) certum est tum ex iis, quæ in superiore Quæstione tradita sunt; tum ex aliis S. Scripturæ testimoniis. *In Christo neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per Charitatem operatur.* Ad *Gal.* 5. *Translato enim Sacerdotio necesse est, ut Legis translatio fiat.* Ad *Hebr.* 7. *Ipse* (Christus) *est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua: Legem mandatorum Decretis evacuans, ut duos condat in semet ipso in unum novum hominem, faciens pacem.* Ad *Eph.* 2. *h. e.* Christus legem Mosaicam, quæ erat maceria divisionis Judæos inter & Gentiles, per Legem Novam evacuavit, duosque populos, Judaicum & Gentilem, quasi duos homines sibi & corpori suo, id est, Ecclesiæ, cujus ipse

ipse Caput est, inseruit, fecitque utrumque hunc hominem (populum) velut novum quemdam hominem in novitate vitæ ambulantem. Ut adeò falsa sit opinio *Ebionis*, *Cerinthi*, *Nazaræorum* aliorumque Hæreticorum, legem mosaicam æternum duraturam, unaque cum Evangelio servandam esse. Quo autem tempore lex vetus per Christum abrogata fuerit, controvertitur. Istud sat certum est, eamdem non fuisse abrogatam ante mortem Christi per *Joannem Baptistam*, quia ipse Christus legem ante mortem suam servare consuevit: *Non veni solvere legem, sed adimplere. Matth.* 5. Neque obstat illud *Luc.* 16. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* Nam sensus est, legem & Prophetas, quo tempore S. Præcursor Christum præsentem monstrabat, cessasse quantum ad modum præfigurandi & prænunciandi Christum futurum; non autem quoad substantiam & reliquos suos effectus.

135. Abrogata.

Lex vetus nec ante mortem, neque in morte Christi, sed in die Pentecostes cœpit abrogari. Pars *1ma* ex eo patet, quia teste Apostolo tunc modò facta fuit translatio legis, quando translatum fuit Sacerdotium, sc. Aaronicum: hoc autem fuit translatum, ubi Christus in ara Crucis se ipsum obtulit hostiam pro peccatis nostris. Hinc Christus ante mortem suam adhuc celebravit pascha cum Discipulis suis. *Matth.* 23. Pars *2da* inde probatur: Lex Vetus tunc cœpit abrogari, cùm Nova cœpit obligare, juxta illud ad *Eph* 2. *Legem mandatorum Decretis* (h. e. Nova Lege) *evacuans.* Dicitur etiam Lex Vetus abrogata per Novam; igitur non ante, quàm ista sufficienter innotesceret. Certè nec Judæi, nec ipsi Discipuli Christi statim

post mortem illius sciverunt legem veterem penitus abrogatam esse, nam Luc. 23. *Revertentes paraverunt aromata, & unguenta, & Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.* Quæ autem fuisset utilitas abrogationis invincibiliter ignoratæ? Denique non debuit populus suâ lege, ejusque commodo privari, nisi propter legem meliorem: hæc autem in morte Christi non innotuit; igitur nec illa desiit obligare. Ex his jam conficitur pars 3*tia* videlicet legis veteris abrogationem in die Pentecostes cœptam esse, quo post Spiritûs S. adventum Nova fuit promulgata primùm Jerosolymis, dein ceteris Mundi partibus prædicata. Hoc igitur tempore quia Baptismus cœpit esse necessarius ad salutem, circumcisio desiit esse necessaria, & cessavit vis circumcisionis, uti & remedii naturæ adversus peccatum originale; ac proinde finem habuit tota lex, cujus fundamentum erat circumcisio, utpote professio legis veteris, quæ idcirco nonnisi circumcisos obligabat.

136. Non tamen statim mortifera.

Lex Vetus non statim, ac mortua est, & abrogata, etiam fuit mortifera, sed post Evangelii prædicationem aliquo adhuc tempore licuit observare Legalia. Nam ipsi Apostoli Spiritu Sancto jam pleni eadem observarunt: veluti S. Petrus, qui aliquot à Christi morte annis adhuc abstinuit *ab immundis Act.* 10. v. 14. S. Paulus *Timotheum* Patre gentili natum circumcidit. *Act.* 16. Idem S. Jacobo suadente usus est legali purificatione *Act.* 21. v. 24. Apostoli Act. 15. præceperunt Fidelibus, ut abstinerent se à contaminatione simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine, *h. e.* ab esu animalium suffocatorum, quorum sanguis

guis per jugulationem effusus non est, & à sanguine, sicut olim *Gen.* 9. præceptum fuerat. Nempe *Legalia* etiam post Evangelii promulgationem adhuc servabant significationem quamdam subjectionis & reverentiæ erga Deum; tum etiam difficillimum primis illis temporibus fuisset populum continuò avellere ab antiquis ritibus, quibus ex legis necessitate tanto tempore fuerant addicti. Addit S. Augusttinus *ep.* 19. ceremoniarum usum idcirco aliquo tempore retentum fuisse, ne ceremoniæ Judæorum ita abominabiles existimarentur, sicut illæ Gentilium, quod in contumeliam Dei, Mosaicæ Legis Autoris redundasset. Lapsu tamen temporis Lex facta est mortifera, & Legalia graviter prohibita, & quidem, ut multi satis probabiliter existimant, anno circiter quadragesimo à Christi morte, tum quia promulgato tunc satis confirmatoque Evangelio non oportebat diuturniore œconomia uti cum pertinacibus Judæis, ne fortassis scandalum præberetur Gentilibus, & quia Judæi tunc cessarunt esse populus, & quaqua versum dispersi sunt.

α) Lex dicitur *mortua*, cùm non amplius obligat: *mortifera*, quando etiam sine peccato observari nequit. Præcepta *moralia* non solum licitè observantur, sed etiam obligant, tum quia Juris naturalis sunt; tum quia à Christo proposita Præcepta *Judicialia* equidem non obligant, servari tamen possunt, immo & ab illis præscribi, qui leges condendi potestatem habent, exceptis iis, quæ Christus reprobavit, cujusmodi sunt *libellus repudii*, *uxorum pluralitas*, *usuræ erga alienigenas*, &c. De solis itaque *ceremonialibus* quæstio movetur. Usus autem Ceremonialium triplex distingui potest, *formalis*, ut cùm ea intentione adhibentur, ut significent Messiam adhuc venturum, aut quasi adhuc necessariæ, vel sufficientes es-

sent ad internam animæ sanctificationem & salutem. Atque hic usus post legem mortuam, semper fuit illicitus, utpote continens hæresim, aut Legis Novæ contemptum, proin cùm peccato mortali semper conjunctus. Ex quo id quoque colligitur, ne *judicialia* quidem & *moralia* ex *vi legis mosaicæ* præcisè licitè servari posse. Usus *materialis* est, cùm legalia usurpantur non ex intentione legis, aut cultùs Deo exhibendi. Sed ex alio prorsus fine, ut si quis ad levandos capitis dolores tondeatur, vel à certo aliquo cibo abstineat. Quod per se, & secluso scandalo illicitum non est. Usus *mixtus* dicitur, quando L. V. Ceremoniæ adhibentur non tamquam præceptæ, aut necessariæ sed ex intentione cultus, & tamquam ceremoniæ religiosæ.

6) De isto Legalium usu medio multùm disputarunt olim Ss. HIERONYMUS & AUGUSTINUS: cui disputationi occasionem dedere nonnulla Apostolorum facta, quibus Legalium usum, etiam post sufficientem Evangelii promulgationem, confirmasse videbantur. S. Hieronymus existimans Legem Veterem tunc semper mortiferam fuisse, ut Apostolos à peccato excusaret, eos simulatè egisse contendebat, in Comment. ad c. 2. *ep.* ad *Gal.* scribens: *utilem aliquando esse, & in tempore assumendam simulationem* (quam tamen subinde honestam potius dispensationem fuisse sustinuit) In hæc commentaria cùm postea S. AUGUSTINUS incidisset, eique vehementer displicuisset ista *Hieronymi* sententia, literis eum convenit, hoc ipsius erratum multis gravibusque momentis castigans, idque præ cæteris urgens, quòd hæc ipsa Apostolorum simulatio fuisset mala & mendacium vel officiosum, vel omnino pernicioſum. Tandem in *Dial.* 1. contra *Pelagia* ut testatur S. AUGUSTINUS *ep.* 260. ad *Oceanum*, mentem suam mutavit, inque *Augustini* sententiam concessit, nempe licita aliquo adhuc tempore fuisse legalia, & ab Apostolis seriò usurpata, tamquam signa subjectionis & reverentiæ, cultùsque erga Deum.

Respon-

Respondetur ad objecta.

Obj. Lex Vetus abrogata fuit, ubi novum Christi Sacerdotium veteri illi Levitico est substitutum: nam *translato Sacerdotio necesse est, ut legis translatio fiat*, ad *Hebr.* 7. Sed in ipsa Christi morte novum fuit Sacerdotium institutum, tunc enim Christus appellatus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: ut docet idem Apostolus ad *Hebr.* 5. *Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ: appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.* Idque confirmatur ex eo, quia quo tempore Christus in Cruce mortuus est, velum templi scissum est, ut pateret Veterem cessasse Legem, Legique Novæ cessisse. Quod ipsum ex mente plurium Ss. PP. Christus significavit, cùm dixit: *Consummatum est.* Et ideo iterum Apostolus ad *Hebr.* 9. scribit, Testamentum Novum morte Christi confirmatum esse. *Resp.* Equidem in morte Christi translatum fuit Sacerdotium, in quantum Christus per Sacrificium Crucis consummavit omnia, quæ ad implendas veterum Sacrificiorum figuras desiderabantur; nondum tamen ex re erat, ut hæc antiqui Sacerdotii translatio continuò daretur executioni, priusquam novam Hierarchiam, & supremum Ecclesiæ novæ Caput ipse constituisset, ac tunc demum Aaronici Sacerdotii translatio palam annunciaretur. Ad 2*dum.* Christus Sacerdotium secundum Ordinem Melchisedech propiè obiit in ultima cœna, quin jam tunc Aaronicum fuisse sublatum dicatur. Neque etiam Apostolus dicit, Christum

fuisse appellatum Sacerdotem secundum Ordinem Melchisedech propter Sacrificium Crucis, sed toto c. 5. *cit.* Christum debito ordine Pontificem factum esse ostendit, ita ut καλ *appellatus* vel idem sit ac *vocatus*, ut colligitur ex v. 4. 5. & 6. vel idem ac *glorificatus*, & mundo annunciatus, postquam omnibus sibi obtemperantibus causa salutis æternæ factus est. Ad 3*tium*. De Velo templi scissò variæ sunt Interpretum sententiæ. Quamvis enim sint, qui Synagogæ tunc abrogationem significatam fuisse velint; alii tamen scissum esse dicunt, ut significaretur vetera Sacramenta & figuras esse patefactas, utpote impletas per Christi mortem, ut quid significassent, ab omnibus facilè intelligi posset. Alii, passionem Christi finitam esse, & animam à corpore separatam, uti veli partes à se invicem divulsæ erant. Alii scissum esse, quasi templum præ indignatione, ut mos illius ævi ferebat, vestem scinderet, aut sicut petræ scissæ sunt. Alii, populi judaici in diversas Mundi plagas divisionem significatam putant; profanationem templi, alii. Alii apertam cœli januam significasse autumant. Denique Christus dicens: *Consummatum est*, significabat finita esse omnia, quæ de ipso dicta fuerant, quæque pro humano genere redimendo passurus erat.

Inst. 1. Igitur Lex Vetus in morte Christi fuit impleta in ratione figuræ & prophetiæ: ac proinde tota cessavit. *Resp.* Ut jam tunc cessasse tota dicatur, insuper requiritur, ut impleta fuerit in ratione legis revocatæ, cujus tamen revocationis tunc factæ nullum habetur sufficiens fundamentum. Sed & multa adhuc erant implenda, veluti sepultu-

ra

ra & resurrectio Christi, missio Spiritûs Sancti, Gentium vocatio, testante Apostolo ad *Rom.* 4. *Christus mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Quamvis autem redemptio nostra in morte Christi fuerit completa quoad sufficientiam meritorum, & reconciliationem cum Deo; exinde tamen non sequitur, continuò legem veterem fuisse abrogatam. Unde Apostolus ad *Hebr.* 9. rectè ait, Testamentum Novum morte Christi confirmatum fuisse, quin tamen idem mox executioni datum adfirmet; confirmatum fuit in ratione pacti cum Patre initi, non autem in ratione legis proximè obligantis, quia necdum fuerat promulgatum.

Inst. 2. Igitur duo simul fœdera, Vetus & Novum, viguerunt. *Resp.* Vigebat adhuc obligatio Legis Veteris veluti moriturientis, & Nova Lex per mortem Christi firmata erat rataque, quin tamen obligationem pareret, utpote latens adhuc & nondum palam prædicata. Condat Princeps aliquis legem novam priori suæ contrariam: nova hæc quamdiu subditis promulgata non est, hi legis anterioris vinculo tenentur, tametsi per posteriorem jam sit in animo Principis abrogata eo ipso, quod novam contrariam statuerit.

Inst. 3. Apostolus ad *Rom.* 7. Legis Veteris abrogationem ita declarat: *An ignoratis fratres, quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri . . Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per Corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit . . . Nunc*

autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritûs, & non in vetuſtate literæ. Igitur Lex Vetus, quo tempore Corpus Chriſti in ara Crucis immolatum fuit, penitus mortua & abrogata eſt. *Reſp.* Apoſtolus videtur hìc virum comparaſſe cum Synagoga, & Judæos, quia cum Synagoga conjuncti erant, eique adhærebant, cum uxore, ut adeo Judæi tunc lege ſoluti ſint, cùm Synagoga fuerit mortua; quo autem tempore illa mortua ſit, non declarat. Hinc ait: *ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit.*

Inſt. 4. Circumciſio, quæ erat fundamentum totius legis, jam ante mortem Chriſti erat inutilis & falſa: inutilis quidem, quia Chriſtus jam inſtituerat Baptiſmum ſuum; falſa, quia applicabatur ex fide, & in ſignum Meſſiæ adhuc venturi, qui jam præſens erat. *Reſp.* Etſi Baptiſmus Chriſti jam ante mortem illius eſſet inſtitutus, quia tamen ſufficienter ac publicè prædicatus non erat, neque *præceptus* dici poteſt, ſed tantùm de *conſilio*, cùm contra circumciſio adhuc de præcepto eſſet. In quo tamen præcepto Chriſtus diſpenſare poterat. Ad 2*dum.* Vera fides, ex qua fiebat circumciſio, in eo dùntaxat erat ſita, quòd Chriſtus ſit venturus aliquo tempore prædefinito à Deo, quam fidem habere Judæi poterant etiam poſt Chriſti adventum. Quod autem Judæus ex errore invincibili judicaverit, circumciſionem adhuc utilem & neceſſariam eſſe, error ille erat duntaxat privatus, qui utilitati remedii non obſtabat, & quidem eo minùs, quo magis error ille invincibilis de neceſſitate alterius remedii, ſc. Baptiſmi, naſcebatur ex defectu legis

ipſius

ipsius utpote sufficienter non promulgatæ. Verùm quid, si post sufficientem Novæ Legis promulgationem Judæus invincibiliter judicet, circumcisionem esse utilem, imo & necessariam, an nunc quoque utile remedium erit? *Resp.* Minimè, quia postquam Lex Nova sufficienter promulgata est, & Baptismi necessitas innotuit; jam invincibilis hæc ignorantia est merè per accidens, neque vim ullam circumcisioni dare potest, quam primitus auferre Deus noluit ante Legem Novam sufficienter promulgatam.

Inst. 6. Baptismus ante mortem Christi saltem erat de consilio, poterat igitur Judæus illum suscipere, quo suscepto tenebatur profiteri Religionem Christianam, & simul vi circumcisionis, quæ adhuc de præcepto erat, obligabatur ad professionem Legis mosaicæ; ac proinde debuisset profiteri Legem Novam & Veterem, *h. e.* figuram & figuratum, umbram & veritatem. *Resp.* Judæus primum circumcisus, dein (prævia, ut supponitur, instructione) baptizatus ante Christi mortem ad illas duntaxat Legis Mosaicæ partes obligabatur, quæ per Christum impletæ necdum fuerant, nam istas Christus ipse adhuc impletum ivit, ideoque adhuc figura erant, & umbra, quin figuratum & veritas præsens esset, quantum ad impletionem.

Obj. II. Si Apostoli non fuerunt usi Ceremonialibus simulatè, igitur tamquam falsis usi sunt. *Resp.* Apostolos Ceremonialibus non simulatè, sed seriò usos fuisse, haud obscurè colligitur ex S. Paginis. Ita S. Jacobus *Act.* 21. ad *Paulum* dixit: *Vides, frater, quot millia*

millia sunt ex Judæis, qui crediderunt, & omnes sunt æmulatores legis: ubi procul dubio sermo est de vera, & non de simulata observatione legis. Ubi S. Jacobus Apostolum hortatus est, ut cum aliis quatuor sese purificaret: *Sanctifica te cum illis, ut sciant, quod & tu custodias legem. Act.* 24. An simulata fuerit hæc adhortatio? nequid commemorem de simulatione omni Jure prohibita, cujus insimulare Apostolos, sit grande nefas.

Inst. 1. Apostolus ad *Gal.* 5. c. disertè ait: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*; igitur judicabat observantiam circumcisionis esse mortiferam, *Resp.* Loquitur Apostolus adversus illos, qui circumcisionem, etiam post Evangelii prædicationem adhuc necessariam dicebant, similes illis, quorum meminit S. Lucas *Act.* 15. *Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.* Neque ideo aut simulatè egit, aut peccavit S. Paulus, ubi *Timotheum* circumcidit, tum quia circumcisionem non adhibuit tamquam professionem Legis mosaicæ sed veluti signum externum subjectionis erga Deum, atque ut omne scandalum, quod sumere Judæi poterant, amoveret; tum quia usus non est cum opinione necessitatis.

Inst. 2. Apostolus *Act.* 16. *circumcidit Timotheum propter Judæos*: & 1 ad *Cor.* 9. de se scribit: *Factus sum Judæis tamquam Judæus, . . . quasi sub lege essem.* Ex quibus haud obscurè colligi simulatio potest. Immo ad *Gal.* 2. de *Cepha* dicitur: *simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.* Ergo. *Resp.* Ad 1*mum*. Apostolus circumcidit Timotheum propter Judæos, *h. e.* ut

Judæi

Judæi *Timotheum* circumcisum libentius audirent, neque scandalum sumerent ex eo, quòd gentilem suæ prædicationis socium adsciviſſet; minimè autem, quasi ex metu Judæorum fingeret aut simularet obſervantiam legis jam mortuæ. Hinc ut tamen etiam facto doceret circumcisionem necessariam non esse, *Titum*, licet gentilis esset, non circumcidit. Ad 2*dum*. S. Paulus factus est Judæis tamquam Judæus *non astu mentientis*, ut loquitur S. Augustinus *ep.* 40. *sed compatientis affectu*, *non simulatione fallaciæ*, *sed compassione misericordiæ*, sicut omnibus omnia factus est, ut omnes Christo lucrifaceret. Ad 3*tium Cephas* ille (nec enim S. Petrus fuit) si egit simulatè, juste reprehensus fuit ab Apostolo: quæ ipsa reprehensio docet Apostolos ab omni simulatione abhorruisse. Sed quo Jure Paulus reprehendit *Cepham* propter Legalia, quæ ipse obſervaverat? *Resp.* Non propter Legalia, sed propter simulationem Gentilibus scandalosam *Cephas* fuit reprehensus: is enim in urbibus Gentilium cum istis manducabat; ut primum verò intellexerat, Judæos eo venisse, à mensa Gentilium se subducebat; qua agendi ratione offendi Gentiles poterant, tamquam si obſervantia Legalium adhuc necessaria foret.

Inst. 3. Apostoli in Synodo Jerosolymitana *Act.* 15. in Synodica ad omnes Christi Fideles hanc legem perscripserunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria: Ut abstineatis vos ab immolatis Simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, bene agetis.* Lex verò ista ex V. L. retenta fuit. *Resp.* Fideles, ad

ad quos notitia illa pervenerat, debebant abstinere ab idolothytis, sive à carnibus & cibis, qui Idolis immolati fuerant, à sanguine & suffocato, non ex vi L. V. sed ex speciali hoc præcepto Apostolico, cujus præcipua hæc erat ratio, ut Gentiles cum Judæis ad Christum conversis in unam societatem faciliùs coalescerent: nam Judæi propter antiquam consuetudinem jam inde à temporibus *Noë* acceptam abominabantur sanguinem & suffocatum. Comestio autem eorum, quæ simulacris immolata fuerant, Judæis occasionem dare poterat suspicandi, quòd Gentiles hujusmodi vescentes cibis redire ad idololatriam vellent. Fuerunt itaque hæc prohibita pro illo tempore, quo primùm Gentiles & Judæi in unum corpus coalescebant. Cùm verò subinde societas hæc satis firmata esset, nulla istius prohibitionis necessitas amplius extabat. Immo sunt, qui præceptum hoc Apostolicum ad Christianos *Syriæ & Ciliciæ* præ ceteris pertinuisse autumant, eoquod ibi frequentiores fuerint Judæi, & ex illis conversi. Certè Apostolus hac super re consultus à Corinthiis istius Apostolicæ Sanctionis non meminit.

QUAESTIO VI.

An Cephas *à* Paulo *reprehensus* ad Gal. 2. *sit alius à S.* Petro?

137. Factum, unde quæstio hæc nata est, in c. 2. *ep.* ad *Gal.* describitur his verbis: *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Priusquam enim quàm veni-*

venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat: cùm venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Judæus sis, gentiliter vivis, & non judaicè, quomodo gentes cogis judaizare? Cephам hìc à S. Paulo reprehensum fuisse Apostorum Principem Petrum communior Ss. PP. & TT. opinio semper fuit. Nec tamen ideo sententia oppositа contemni debet, quæ quantò ætate inferior est, tantò rationum momentis superior haud iniquè æstimatur. Quod priusquam manifestum fiat, juvat hæc ex eadem *ep.* ad *Gal.* adnotasse. I. Dedit hanc epistolam S. Paulus *Ephesi.* Ex quo enim Apostolus in Asia steterat; literæ ad eum non paucæ allatæ sunt, quibus ex Galatia nunciabatur, complures esse, qui ad Legem mosaicam cunctos Galatas, quibus ipse Evangelium prædicaverat, obligarent, exemplo *Jacobi*, *Joannis*, & præprimis *Cephæ*, qui Antiochiæ hanc observandam dixisset. Et quidem quod *Galatas* converterit, patet ex c. 1. v. 6. *Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium.* Et v. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Quòd etiam fuerint, qui *Galatas* turbatum irent, liquet ex eod. c. 1. v. 7. *quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere* (invertere) *Evangelium Christi.* Perturbatores

batores istos ut confunderet Apostolus, atque impios eorum conatus eluderet v. 11. & 12. testatur se Evangelium non ab hominibus, sed per revelationem Jesu Christi accepisse. *Notum enim vobis facio, fratres Evangelium, quod evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem: Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* II. S. Paulus antequam scriberet hanc epistolam, *bis* tantùm venerat Hierosolymam, sc. anno tertio post conversionem suam. *Neque enim veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abii in Arabiam: & iterum reversus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini* c. 1. v. 17. 18. & 19. Et 2dâ vice post annos quatuordecim, non à prima profectione, sed à conversione: *Deinde post annos* 14. *iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito,* c. 2. v. 1. Nempe conversio *S. Pauli* incidit in annum AE. V. 30. (uti videre est in Apparat Chron. P. Daude S. J.) Anno 3. à conversione sua, *h. e.* AE. V. 33. ascendit primò Hierosolymam. Subide *Cajo* Imperatori in theatro occiso surrogatur *Claudius* Caji patruus anno AE. V. 41. Anno AE. V. 42. & Claudii secundo, fames ingens in Judæa: quo ipso anno exeunte, & anno 43. cœpto S. Paulus secundò Hierosolymam profectus est, Fidelium collectas ad Seniores laturus inter Fideles distribuendas. III. Quæcumque in hac epistola narrantur gesta, evenerunt ante Concilium *Hierosolymitanum* celebratum anno

AE.

AE. V. 47. Quo S. Apostolus tertiò venit Hierosolymam. *Act.* 15.

Cephas *à* S. Paulo *Antiochiæ reprehensus non* 138.
fuit S. Petrus. Nam 1°. S. Petrus non potuit *turbasse Galatas*, eosque ab Evangelio Christi abducere, tum quia hoc à fide & sinceritate Principis Apostolorum omnino alienum erat, tum quia Gentium Doctor c. 2. v. 8. laudat S. *Petrum*, dicens eidem operatum esse Christum in Apostolatum circumcisionis, & eidem Evangelium circumcisionis creditum esse. 2°. S. Paulus *Cepham* adnumerat iis, qui *videbantur esse aliquid*, *qui videbantur columnæ esse*. c. 2. v. 6. & 9. S. Petrum verò reipsa fuisse aliquid, fuisse columnam Evangelii & Ecclesiæ, testatur Apostolus eod. c. 2. v. 7. & 8. *Sed econtra cùm vidissent*, *quod creditum est mihi Evangelium præputii*, *sicut & Petro circumcisionis*: *Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis*, *operatus est & mihi inter Gentes*. Ubi id speciatim notandum, Apostolum hic de iis, quos redarguit, loqui tamquam de personis à Petro distinctis: *Sed econtra cùm vidissent*, falsi sc. fratres. 3°. Apostolus *Cepham* tamquam perfidum redarguit, eoquod dexteram antea junxisset, ipsum prædicationis socium agnoscendo, postea verò gentes cogeret judaizare, cùm ipse more Gentium viveret. Hæc autem perfidiæ nota quomodo in S. Petrum caderet, qui & ipse Gentium vocationem per visionem cœlestem jam intellexerat? 4°. S. Petrus cur timeret Judæos à S. Jacobo missos, cùm ipse non paucis abhinc annis cum Gentilibus palam manducasset? *Act.* 11. 5°. Petrus non erat *Antiochiæ*, cum Paulus *Ce-*

pham ibidem reprehendit, sed Romæ: nam anno 42. AE. V. & 2do *Claudii* Petrus venit Romam, per annos 7. continuos ibi commoratus, anno Claudii 9no, & AE. V. 49, rediit Hierosolymam, ibidem Concilio celebrando præfuturus. Paulus verò anno AE. V. 44. conversionis suæ 14. *Cepham* Jerosolymis convenit, eumdemque sibi & *Barnabæ* jungentem dexteram habuit, reprehenditque *Antiochiæ* anno 49. Præterea si Paulus reprehendisset *Petrum* tamquam perfidum conturbatorem Fidelium, igitur vel paullo ante Concilium *Hierosolymitanum*, vel paullo post: non 1*mum*, quia S. Petrus Româ discedere coactus anno *Claudii* 9no, non *Antiochiam*, sed *Hierosolymam* ascendit. Non 2*dum*; quia nefas est cogitare de S. *Petro*, quòd contra suam & Synodi sententiam decretoriam egerit cogendo gentes judaizare. Sive itaque mores istius *Cephæ* spectes, qui longè diversi erant à moribus S. *Petri*; sive locum & tempus consideres, quo *Cephas* à *Paulo* reprehensus fuit; satis intelligis, *Cepham* à S. *Petro* alium prorsus, & diversum fuisse.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. S. *Petrum* appellatum fuisse *Cepham*, Christus ipse apertè declarat *Joann.* 1. v. 42. *Tu es Simon Filius Jona: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Et hunc *Cepham*, quem S. Paulus reprehendit, fuisse *Petrum* Apostolum, docent Versiones Orientales, & antiqui Codices tum græci, tum latini. Atque ipse etiam S. Paulus 1. ad *Cor.* 1. v. 12. *Cephæ* nomine designat

signat S. Petrum, dicens: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi.* Ergo. *Resp.* Ad 1*mum.* Istud extra omnem controversiam positum est. Ad 2*dum.* Versiones Orientales ubi voce Syrâ vel Chaldaicâ utuntur, sc. κηφᾶς, aut huic græcam πέτρος, vocem synonymam substituerunt: an continuò hanc *Petri* Apostoli personam designare voluerunt? an *Cephæ* nomen pluribus esse commune non possit? Græci dum *Cepham* dixere *Petrum*, an ideo hunc Apostolorum Principem demonstrarunt? eadem certè persona hac duplici voce κηφᾶς & πέτρος significari potuit apud Orientales. Ad 3*tium.* Solebant *Corinthii Petrum* compellare voce Syriacâ vel chaldaicâ κηφᾶς, qua Christus eum compellaverat, voce illâ tunc necdum in græcam versâ; ideoque Apostolus ad *Corinthios* scribens ipsum constanter *Cepham* adpellat: ad *Galatas* verò scribens ut personam Apostoli ab illo *Galatarum* turbatore, qui *Cephas* dir cebatur, discerneret; ipsum Apostolum constanter *Petri* nomine significat. Et *Petri* personam fuisse aliam à persona illius *Cephæ* ex v. 7. c. 2. ita colligo: *Sed econtra cùm vidissent (Qui videbantur esse aliquid* v. 6.) *quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis*: ubi Apostolus loquitur de *Petro* tamquam alio ab illis, qui videbantur esse aliquid, alioquin non *Petro*, sed *sibi* ponere debuisset, *sicut & sibi circumcisionis.*

Inst. 1. Si *Cephas* à Paulo reprehensus non fuit Apostolus, sed fortassis unus ex 70. Discipulis, cur ergo Paulus eumdem ponit ante *Joannem* Apostolum? *Et cùm cognovissent gratiam, quæ*

data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis: ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem c. 2. v. 9. *Resp.* Si *Cephas* ille fuit Apostolorum Princeps, cur ponitur post *Jacobum*, qui propter Primatum ab omnibus Evangelistis primo semper loco ponitur? Equidem Apostolus 1. ad *Cor.* 1. v. 12. *Cepham Petrum* ultimo loco ponit, sed tamen re ipsa primo, quia se primo loco posuit tamquam infimum, dein Apollo, denique *Petrum.* Itaque tres illi non fuere Apostoli, sed Presbyteri S *Jacobi*, Episcopi Jerosolymitani, ab eodem *Antiochiam* missi, ut colligitur ex v. 12. *Prius enim quàm venirent quidam à Jacobo* (Apostolo) *cum Gentibus edebat* (Cephas) *cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant.* Ex quo patet *Jacobum* Apostolum, de quo v. 12. esse omnino alium ab illo, de quo v. 9. Sed neque *Joannem* v. 9. fuisse Apostolum, constat ex c. 1. v. 18. & 19. *Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum . . . Alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Jacobum fratrem Domini.* Et quis credat, S. *Paulum* de tribus Apostolis, *Jacobo*, *Petro* & *Joanne* in datis ad Fideles literis tam parum reverenter & adeò intemperanter scripturum fuisse: *Qui videbantur columnæ esse?*

Inst 2. C. 2. v. 8. *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.* Hìc certò designari Apostolum *Petrum* nemo non audit. Igitur & v. 9. immediatè sequente idem *Cephæ* nomine designatur. Fuerunt

sanè

sane hi tres Apostoli: cur enim tamquam columnæ Ecclesiæ nominantur? cur Paulus maximo sibi duxisset honori, quod fuerit ab illis simul cum *Barnaba* in societatem adscitus? cur adfirmat illos fuisse Apostolos circumcisionis, sibi verò Gentium conversionem fuisse creditam? *Resp.* Præter jam dicta, si Apostolus *Cephæ* nomine intellexit *Petrum*, cur in eodem contextu diversis Apostolum nominibus compellasset? cur v. 7. non scripsit: *Cùm vidisset Petrus, quòd creditum est mihi Evangelium præputii, sicut sibi circumcisionis*? ad 2*dum*. Apostolus tres illos vocat *columnas Ecclesiæ*, sed qui *videbantur* columnæ esse. Ad 3*tium*. Non tunc primùm S. Petrus dexteram junxit *Paulo*, ubi hic 2dò Jerosolymam ascendit, nam istud jam factum fuerat in primo Apostoli ascensu Hierosolymam. Proinde cum Paulus c. 2. v. 9. hanc dexterarum junctionem prædicat, non Petrus, sed *Cephas* alius ab illo tunc modò dexteram junxit. Poterat autem de illa quoque dexterarum junctione gloriari Apostolus (quòd enim maximo illam honori sibi duxerit, non legitur) quia magni inter suos nominis erant. Illos autem fuisse Apostolos Paulus nuspiam adfirmat; *in circumcisionem* tamen erant, quia à *Jacobo* Apostolo missi, Judæis Evangelium prædicabant.

Obj. II. *Cepham* à *Paulo* reprehensum fuisse S. *Petrum*, communis semper fuit PP. opinio. *Resp.* Equidem plures fuere ex Patribus, qui *Petrum* à *Paulo* reprehensum crederent, quæ opinio inde nata confirmataque videtur, quòd in Codicibus antiquis

tum græcis, tum latinis hæ voces πέτρος, & *Petrus* legerentur. Hic autem error ex eo ortus, quia Scribæ & Interpretes initio in margine duas illas voces posuerunt tamquam synonimas cum voce κηφᾶς: subinde Librarii græci in ipsum contextum intruserunt vocem πέτρος; à quibus decepti latini sua quoque exemplaria depravarunt. Sed neque opinio illa ita communis fuit, quin ex antiquis non pauci oppositum sentirent. Clemens *Alexandrinus* (in Sec. II.) ut ait Eusebius L. 1. c. 14. *in* 4. *Hypotipoſεων Cephæ mentionem facit, de quo Paulus dixit: Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti; & dicit eum unum esse ex* 70. *Discipulis cognominem Apostolo.* S. Chrysostomus *Hom* 61. refert *non neminem putasse, hunc Cepham reprehensum non Apostolum, sed alium quemdam vilem, abjectum, & unum ex multis fuisse.* De *Eusebio* Cæsar. refert *Dupin* L. 2. c. 13: *hic distinguit Cepham Antiochiæ reprehensum à Petro Apostolo.* Similiter Dorotheus *Tyrius* in Synopsi, & Oecumenius in Comment. *ep.* ad *Gal.* Item Autor Chronici Alexandr. *Cepham* illum à *Petro* Apostolo prorsus diversum memorant.

Obj. III. Quo tempore Apostolus collectas Fidelium ad Seniores in Jerusalem asportavit, *eodem tempore misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Act.* 12. v. 1. & 2. Igitur post Concilium Hierosolymitanum, cui Jacobus adhuc interfuit, *Act.* 15. illas detulit. *Resp.* Hæc verba, *eodem tempore*, in sensu largiore accipi

cepi debent, ita ut intelligatur: *circa idem tempus.* Dein si umquam, circa itinera Apostolica summa est Chronologiæ obscuritas, quam illustrandam Historicis relinquimus. Apostolum antequam epistolam ad *Galatas* daret, nonnisi duabus vicibus Hierosolymam ascendisse, docet ipse S. Paulus in eadem epistola. Cumque ex illa sufficiens habeatur ratio negandi, *Cepham* à Paulo reprehensum fuisse S. *Petrum*; non est, cur cætera operose, & sine fructu scrutemur. Istud tamen præterire nefas sit, nempe *Jacobum* ab *Herode* occisum non fuisse illum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopum, sed *fratrem Joannis*, qui ex Hispania redux una cum *Petro* in Orientis partes jam progresso, Judæam junctis laboribus excolendam susceperat, ideoque ab *Herode Agrippa* gladio interemptus.

CAPUT III.

De Lege Evangelica.

Antiquatâ Lege Mosaicâ *Novam* sanxit Christus, 139.
quæ idcirco *Lex Nova* dicitur, vel quia tempore posteriore hominibus data est; vel quia per gratiæ uberioris collationem hominis interiora renovat, immo novum veluti hominem efficit. Vocatur etiam *Fœdus*, aut *Testamentum Novum*, prioribus abrogatis substitutum. *Evangelium* dicitur: nam *Evangelium*, ut ait S. Augustinus, *est bonum nuncium: bona autem hominibus nunciantur, quando promittitur eis beatitudo cœlestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum resurrectio, immortalis vita.* Quæ idcirco